

**1978**

**M**

**388**  
**(26)**



ov. h.

F

R

ORATIO FVNEBRIS  
IN MORTEM  
PETRI MOSELLANI

AVCTORE

I V L I O P F L V G.

ITERVM EXCVSA

C V R A

CHR. GOTTE. MÜLLERI,

RECTORIS SCHOLAE CIZENSIS ET BIBLIO-  
THECAE EPISCOPALIS PRAEFECTI.

C I Z A E

LITTERIS ET SVMTIBVS WEBELIANIS.

1 7 9 8.

ОРАГО ТИНЕРИ  
— МАРГОН И.  
ПЕТРИ МОСТЕЛАНІ



Карточка 78М 388.

(26)

ЗАДАЧА

VIRO SVMMO

MERITIS, ANNIS, INGENIO, DOCTRINA, ET  
HUMANITATE INSIGNI

## CHRISTOPHORO SAXIO,

BONARVM ARTIVM IN ACADEMIA  
RHOENO - TRAIECTINA PRO-  
FESSORI

# CHRISTIAN GOTTFRIED MÜLLER.

Non temere, Saxi Humanissime, dubitasti  
nuper, an laudatio ista funebris, quam Iu-  
lius Pflug, Episcopus Numburgensis ultimus,  
Lipsiae, vbi tunc iuri ciuili operam dabant,  
et communi hominum nobilium iudicio assi-  
debat, <sup>1)</sup> in obitum Petri Mosellani con-  
scripsisse, et in aede St. Nicolai recitasse tra-

<sup>1)</sup> Cf. eius epist. ad Hessum in Ackeri Narratione breui de Julio Pflugio p. 156.

ditur, <sup>2)</sup> vel sola typis excusa vñquam, vel  
aliorum libris inserta, lucem aspicerit.  
Gundlingius quidem eti in *Historia Erudit.*  
*Tom. II. p. 2611.* orationem istam existimat  
hinc illinc in bibliothecis reperiri, a nobis  
tamen vix impetrare possumus, vt ab ipso  
esse eam visam vsquam, nedum lectam facile  
credamus. Inhaerere modo, imino potius  
obnoxius videtur esse, vt *Tu ipse* me non  
monente intelliges, auctoritati aliorum, qui  
huius orationis laudent elegantiam, ipsis  
quoque haud dubie nunquam perspectam.  
Primum enim non constituit, vtrum haec  
oratio in bibliothecis exstet scripta modo, an  
typis quoque expressa. Deinde, quod ma-

2) Cff. Gundling, in Hist. Eruditionis  
(Historie der Gelahrheit) Tom. II. p. 2537.  
et 2611. Menke in dissert. de gr. et lat.  
litterarum in Misnia instauratoribus:  
aph. 9. p. 265. Henr. Schulze in vita  
Petri Mosellani §. 28 et 61. Spangen-  
berg in Speculo Nobilium (Adelspiegel)  
Lib. XI. c. 15. p. 192. Siculi Annal. Lipf.  
max. Academ. Tom. III. p. 440.

vel jorem conieclurae nostrae facit fidem, ora-  
 tioneam istam, quemadmodum fere omnes,  
 it. quos consuluimus, et qui de ea exponunt,  
 at ita laudat, ut ipsum nunquam vidisse eam,  
 is aut legisse facile appareat. Inscrbitur autem  
 so ea in exemplo, quod sine dubio vnum typis  
 le exscriptum iam ad manus est: *Oratio fune-*  
 us *bris in mortem Petri Mosellani auctore Julio*  
 n *Pflug;* sed Gundlingius aliique, quos vel  
 ii ipse est secutus, vel qui ipsum sequuntur.<sup>3)</sup>  
 is inscribunt eam: *Oratio in obitum Petri*  
 c *Mosellani.* Nonne inde patet, plerosque fere  
 n historiae litterariae scriptores, libros eorum-  
 que auctores quasi sibi cognitos nominare,  
 s quibus tamen nunquam eos videre coram li-  
 cuerit? Accidit adeo, ut, quum quosdam,  
 . qui adhuc sunt in viuis, laudatores huius  
 . orationis Pflugianae publicos de ea mecum  
 . communicanda per litteras adiissein, se eam

3) e. g. Acker in Narrat. de Julio Pflugio.

Toecherus in Lexico Eruditorum, Schamelius in Numburgo Litterato, et alii.

neque scriptam, neque typorum formulis expressam vidisse vñquam ingenue faterentur. Itaque, ne precibus *Tuis*, *Saxi*, et omnino litteris bonis deesse viderer, bibliothecas Saxoniae nostrae, vt et *Tuae*, maiores, in quibus hanc orationem reperiri posse sperandum erat, obii fere omnes; sed heu! et bibliotheca ipsa, quae Cizae omnes omnino Iulii Pflugii libros et manu scriptos, et typis excusos asseruat, vt et bibliothecae, quae Lipsiae atque Dresdae splendent, inanem me atque incertum dimiserunt. En! vero praeter spem, quam iam prorsus abiiciendam putaram, amicus quidam hanc ipsam orationem typis quidem, verum sine loco et anno, foliis duo decimo quaternis, eaque ipsa inscriptione, quam antea posui, exscriptam mihi attulit. Procul dubio ea, nisi me prorsus fallunt formae litterarum, et figurae frontem libelli ornantes, tunc temporis, vel faltem paullo post, cum habita est, cura ipsius Pflugii Lipsiae prelis subiecta atque edita videtur. Qua-

propter quum haec oratio sit rarissima inventu, (nam paucissima modo exemplaria eius excusa fuisse credibile est) eam ex illo libro, qui ad manus est, vitiis typographicis purgatam repetendam, eique epicedium in memoriam Petri Mosellani a Julio Pflugio compositum e Stepneri Inscriptt. Lips. p. 118. n. 411. adiiciendum curauimus. Fecimus autem, vt non *Tibi modo, Saxi Humanissime,* amorque *Tuo litterarum istarum indulgere-* mus; verum vt etiam homines seculi nostri perspiccerent, quanta diligentia, quanto cum apparatu eloquentiae, vt et animi pietate res olim sit acta, quae, vti iam nostrorum temporum est leuitas, ac paene dixerim, impie-  
tas, apud nos iam fere friget. Non minus iuuabit, melius inde et proprius cognoscere non ingenium modo Pflugii nostri doctri-  
namque eximiam, sed animi quoque pieta-  
tem erga Deum et praceptorē suum, mo-  
destiam eius, humanitatem atque ciuili-  
tatem.

Recipias igitur, *Vir Humanissime*, hanc orationem, quam TIBI cura nostra iterum excusam mittere ausi sumus, tanquam documentum et signum pietatis nostrae, obseruantiae atque reuerentiae, Tibique persuadeas, nihil esse, quod magis expetamus votis, quam ut Deus O. M. Te nobis litterisque, in quibus Tu solus habitas, quam diutissime conseruare velit. Atque ita iterum iterumque vale, mihique fave.

**Cizae, Ipsiſ Kalendis Febr.**

96  
etiam quod est in aliis. A  
estofor, si eis communis est, ut non possit  
minimus turpum. Quod si hoc sit, non  
poterit esse id est, ut eis deus nos  
estramus. Namque, quod dicitur, ut  
**S**i in hoc communi lugitu non animo affice-  
rer, Lipsienses, horum alterum euenire ne-  
cessere esset, ut aut ego sensu prorsus omni ca-  
rere, aut totam hanc vestram lugendi ratio-  
nem damnare viderer. Quorum siue vtrum-  
que, siue alterum existaret, quemadmodum  
existimationem meam, si qua modo est, tueri  
possem, non sane reperirem. Quare cum il-  
lud mihi esse debet commune vobiscum, ut  
doleam, tum hoc proprium ac plane meum,  
ut animi mei commotionem significatione  
certa aliqua testificer. Nam cum Petrus Mo-  
sellanus, quem hoc tempore lugemus, auctor  
fuerit mihi suscipienti eam studiorum ratio-  
nem, in qua iam dudum mediocriter versor,  
si quid dicendo possum, debeo id cumprimis  
in luctum propter mortem illius suscepimus  
conferre. Quem enim fructum ex me capere  
debebat viuus ille, eundem nisi mortuo, cui  
haec velut iusta soluenda sunt, tribuero, non  
hercule potero ingratitudinis nomen effugere.  
Adducunt me quidem ista, quae sunt graui-  
sima, tum incredibilis ille dolor vester, quem

A

ex morte honestissimi viri, eiusdemque de  
 Academia vestra optime meriti cepistis, ut  
 de eo, qui inter nos communis est, dolore  
 ad vos dicere instituam. Quamquam enim  
 me hactenus ab hoc genere et aetas mea pro-  
 hibuit et vitae ratio, planeque tenuit intra  
 domesticos parietes conclusum; tamen, cum  
 me hodierno die tot honestissimae causae, at-  
 que adeo tacita quaedam voluntas vestra ad  
 hoc institutum eliciant, non committam ego,  
 ut metus hic paene fabrusicus plus apud me  
 valuisse videatur, quam officium meum.  
 Cumque de eius virtute dicendum sit, qui  
 maximo fuit Academiae vestrae ornamento, ac  
 per charus vobis omnibus, spero hanc insolitam  
 dicendi rationem mihi facilem sane futuram.  
 Ac nunc quidem si docuero primum, qualis  
 fuerit vita Mosellani nostri, deinde quo ge-  
 nere mortis diem obierit, id, quod volo,  
 facile consequar, ut statuere possitis, quo  
 animo optimi illius honestissimique viri mor-  
 tem ferre debeatis. Quare si illum tam di-  
 lexistis, quam et diligere debuisse et dilexisse  
 non obscurum est, de eo ipso breuiter, dum  
 dico diligenter, quaeſo attendite.

A

**Cum animum ac cogitationes meas ad  
 mores atque ingenium Mosellani nostri re-  
 fero, video in eo cum omnia fuſſe eximia,  
 tum hoc paene diuinum, quod in iis, quae**

essent in se, excolendis perfecerit, vt, quae  
 deessent, non magnopere desiderarentur.  
 Atque vt inde ordinar potissimum, vnde haec  
 tota ratio perspici potest facillime, quae plu-  
 rimum possunt in rebus humanis, duo sunt,  
 natura atque fortuna. Quae ambae cum mul-  
 tum afferant adiumenti ad beate viuendum,  
 statuunt homines hisce solis omnem vitae ra-  
 tionem contineri. Ea autem vis insita est  
 vnicuique nostrum, vt expetamus summa, et  
 ad ea, quae posita sunt in illustri honoris at-  
 que dignitatis loco, quantum in nobis sit, ad-  
 spiremus. A quibus tum excludi videmur,  
 cum ea, quae vel natura tribuit, vel fortuna,  
 sint negata nobis. Cum enim illa ipsa vim  
 habeant maximam ad obtinendos summos  
 honores, qui caret eisdem, maximis se bonis  
 carere opinatur; contra si cui ea non desunt,  
 videtur esse vel in primis beatus. Ponite hic  
 vobis ante oculos vnum aliquem ex beatiori-  
 bus illis; sit sane aliquis aut genere nobilis,  
 id quod natura dat, aut opibus abundans,  
 quod fortunae est, an hunc insolentiae suae  
 modum ullum statuere posse censem? Non  
 loquor hic de intelligentibus. De vulgo hoc  
 dictum sit. Cum iste, quia habet, vnde det,  
 et det nemo largius, a multitudine in oculis  
 feratur, suo quidem iudicio valde est beatus.  
 Videsne, vt incedat? vt ambiat summa? vt  
 omnia agat pro imperio? vt tenuiores, si qui

A 2

sunt, pro nihilo habeat? vt se efferat? vt  
 denique se plane in coelo esse arbitretur?  
**A**t isti obscuri homines, et non satis pecu-  
 niosi, quam se abiiciunt, quam iacent toti,  
 quam denique omnem aetatem in fordibus  
 consumunt? Quid intersit inter beatos illos,  
 et eos, quibus defunt illa, quae naturae sunt  
 atque fortunae, satis iam docuimus. Quo-  
 niam vero id in medio, atque adeo sub ipso  
 conspectu nostro positum est, nemo fuerit tam  
 remotus a communi sensu, qui rem non ita  
 se habere fateatur. Sed cum multitudinibus,  
 quae magis specie rerum, quam veritate du-  
 citur, proprium sit, pendere ex duabus ipsis  
 rebus, reuocemus parumper animum no-  
 strum ab iis, quae a multis fiunt, ad ea, quae  
 fieri debent, eamque rationem in Mosellano  
 nostro consideremus. Quae externa sunt et  
 corporis bona, siue a natura data, siue a for-  
 tunae, quoniam ad bene viuendum afferunt  
 sane nihil, non sunt in vita honesti viri desi-  
 deranda, quippe cum talia sint illa, vt ne in  
 bonis quidem numerari debeant. Licet enim  
 his ipsis circumfluas maxime, eo tamen non  
 fueris melior vñquam. An quisquam pro-  
 pterea, quod diues esset, in bonis viris est ha-  
 bitus? Vtrum C. Fabricius, an M. Crassus  
 praestantior fuit ciuis in republica sua? illi  
 tenuitas summae fuit laudi, huic vero opes  
 atque diuitiae reprehensioni: ille, quod

5

pecuniam contemneret, rempublicam suam  
optime gescit: hic, quod cupidior esset eius-  
dem, ad extremum rebus male gescis et ipse  
cecidit turpiter, et rempublicam suo casu ve-  
hementer affixit. Dicam, quod sentio, Lip-  
fientes, alia est et longe alia ratio, vnde vera  
petitur honestas. Quod cum Petrus Moseli-  
anus intelligerer, eiusque rei cognitionem  
ex disciplinis veterum, quibus ab ineunte  
aetate deditus fuerat, haudisset, sic vitam indi-  
stuit, ut ad solam virtutem referre omnia  
in ipsis autem nihil spei ponere videretur.  
Quae si quid illi dederant, id quidem ipsum  
eo conferebat, ut, quae contra denegassent,  
in eo non sane requireres. Ac ne quis forte  
illustre aliquod eius rei documentum deside-  
ret, ecce tibi in manibus est vita hominis.  
Natus erat loco humili atque obscuro, paren-  
tibus sane tenuibus, in quodam Treuirorum  
pago. Sed ea res tantum absuit ab omni con-  
temptu, ut ei non modo non obsuerit ad sum-  
mam dignitatem, sed multum etiam profuerit.  
Neque id iniuria. Nam quod nos, qui hoc  
equestri loco nati sumus, a maioribus nostris  
aceperimus, ut sumus in aliquo numero, id de-  
derat ille maioribus suis. Sed quis aequus  
rerum aestimator non laudabilius ducit aliis  
praelucere virtute sua, quam ex splendoro  
alienae gloriae illustrari? Si nobis maiorum  
nostrorum virtutem ornamento esse atque

dignitati ducimus; quanto existimare debemus honestius fuisse illi, quod familiam suam humilem, ac plane iacentem excitarit ipse, et in quandam celebritatis sedem collocarit? Est enim multo praestantius dare, quam accipere beneficium. Iam vero fortuna erat illi primo iniquior, eam tamen deinceps virtute sua honestissime vicit. Nam cum primum ex iis fontibus, unde omnis honestas petitur, ad bonam bonorum omnium existimationem proflueret, consecutus est id, ut a maximis quibusque viris vnice diligeretur. Ea quidem res effecit, ut, quae a fortuna proficiuntur dicuntur, illi non nimis deessent. Nam cum Georgius, princeps noster, quem honoris amplitudinisque causa (ut aequum est) nomino, cerneret in Mosellano tantum esse doctrinae et prudentiae, quantum publico docendi muneri, atque adeo honoribus summis Academiae vestrae mandandum esset, clarissimus princeps optimo viro summum decreuit honorem, ut ex publico inter nos honestissime aleretur. In ea re illud mihi visum est cum primis admirabile, quod, cum fortuna sibi huiusmodi omnia prope iure suo vendicare soleat, ex hoc tamen ipso non possit sumere quicquam, praesertim vero, quod, quae in hoc genere tributa sint Mosellano, praemia virtutis, non fortunae fuisse bona videantur. Possem hic afferre sexcenta alia, ex quibus

unusquisque vestrum statuere posset, in eo  
 nihil vel fuisse, quo non usus sit optime, vel  
 defuisse, quo non honeste careret. Sed quando  
 hic vixit plane in oculis vestris, ut nulla eius  
 vitae pars, nullum factum vobis obscurum  
 esse potuerit, haud committam ego, ut sint  
 in hisce explicandis nimius. Venio ad ea,  
 quae in animo illius posita erant, in quibus  
 quod iisdem solis honestatem metiretur, omne  
 tempus consumebat. Idque ut faceret, cum  
 aliis rebus excitabatur, tum hac re vel inpri-  
 mis, quod intelligeret, non multum sibi pre-  
 fidii in iis positum esse, quae vel externa di-  
 cuntur bona, vel corporis, propterea, quod  
 ea partim non nimis suppetarent sibi, partim  
 vero plane deessent. Ad ea itaque, quae  
 virtute ac industria parantur, unde vera nasci-  
 tur dignitas, se studiumque suum conuertit.  
 Nam cum natura illi singularem ingenii vim  
 atque aciem dedisset, ut primum per aetatem  
 potuit, applicuit ingenium ad eas literas,  
 quae, cum omnem humanitatis rationem con-  
 tineant, ab ea nomen rectissime accepertint.  
 Quarum ille suavitate delinitus ac captus,  
 plane, sic literarum studio flagrare coepit, ut  
 eas omnibus aequalium lusionibus (quod in  
 ista aetate mirum videbatur) anteponeret.  
 Hinc illi progressus, quos in illis pulcherrimis  
 studiis breui sic fecit, ut in eo maiores natu-  
 atque propinqui spem summae doctrinae col-

Iocarent. Videbant namque in eo talem esse  
indolem, quae sua sponte ad optimam vitae  
rationem fatis esset incitata. Neque ea spes  
fesellit illos. Nam ut navis vel ventorum vi-  
vel remorum pulsu semel concitata, fertur  
deinceps motu suo; sic ingenium Mosellani  
ad rectissima quaeque studia iam inde a puer-  
concitatum, quem ceperat, cursum tenuisse  
videtur quam constantissime. Quare ut pri-  
mum ex pueris exceperat ipse, iamque id  
aetatis esset, ut liberalissimas quasque disci-  
plinas percipere posset, Coloniam Agrippi-  
nam, ciuitatem celebrem atque doctissimis  
Hominibus affluentem, tanquam ad mercatu-  
ram bonarum literarum, se contulit. Ad  
quam rem propinquui illius sumtus ei, pro fa-  
cilitatibus, quas sane pertenues habebant,  
satis magnos suppeditabant. Hic noster ille,  
cum cerneret magnam sui exspectationem esse  
concitatam, summo studio in eam incubuit  
rationem, vt et sibi non deesset, et exspecta-  
tioni bonorum omnium responderet. Incen-  
dit haec causa (vt fere fit) adolescentem in-  
credibili quadam doctrinae cupiditate.  
Quid enim maiores afferat motus animis hu-  
manis, quam tanta et cognitorum nostrorum  
et optimi cuiusque exspectatio? Age, con-  
sideremus igitur, qua via illo contenderit,  
quo vna quasi voce bonorum omnium voca-  
retur. Cum ille iam inde ab initio bono

effet ingenio, idque ipsum studiorum vsu atque assiduitate acuisset, consecutus est id, vt de optimo studiorum generè facile posset iudicium facere. Intelligebat igitur omne genus doctrinae duabus potissimum rebus contineri, quarum altera in consideranda vestigandaque cuiusque rei cum natura, tum ratione, altera vero in iis, quae a nobis inuenta sunt atque perspecta, bene ac polite explicandis versatur, atque istas sic inter se coniunctas esse videbat, vt hanc sine illa inanem esse, quid autem inanem? immo esse plane non posse; at illam sine hac obscuram esse, penitusque iacentem statueret. Et id quidem recte. Etenim si loqui velis, nec habeas, de quo prudenter loquare, oratio certe tua inanem ac paene puerilem edat sonum necesse est. Quid enim interest inter hasce voces, atque eas, quas bruta animantia mittunt? Rursus si animo tuo omnium rerum cognitionem comprehendeleris, nisi id, quod scias, quodque sentias, apposite possis eloqui, et cum aliis communicare, obsecro te, quem ex ista omnium rerum peruestigatione capias fructum? Nisi quis forte putat se natum esse sibi soli, vt in angulis sibi, nescio quas, faciat delicias, atque aetatem sic consumat, quod hominis fuerit et impudenter abutentis otio, et de omni officiorum ratione male prorsus sentientis. Qua de causa Mosellanus in iis,

## B

quae natura ac quadam necessitate coniuncta essent, sibi quoque coniuncte elaborandum putabat. Ac primo quidem dialecticam, quae nobis ad utramque facultatem et bene dicendi, et recte intelligendi aditum munire solet, ab iis doctoribus, qui Coloniae optimi habebantur, didicit. In quo genere cum progressus esset eatenus, quatenus satis esset iis studiis, ad quae properaret, diutius se in eodem detineri passus non est, quin potius ad ea, in quibus singularis illa ingenii foecunditas se efferre posset, accessit. Ad philosophiam itaque et eloquentiam ab hisce initiosis profectus, quoniam liberalissimas quasque disciplinas graecis litteris contineri intelligebat, graeca cum latinis coniungere coepit. Cumque paucos intra annos id quidem asseditus esset, ut et graecas literas et dicendi artem et naturae vim perbene teneret, instituit docendo eorum, quae didicisset, periculum facere, id quod eo ipso exercitationis genere futurum erat. Ingenium namque hominis similiter atque agrum, quem quidem fructus bene magnos ferre velis, colere oportet. Nam ut hic non semel arandus est, sed iterandus planeque subigendus, sic ingenium quadam veluti subactione exercitationis collendum est studiosissime. Praeclare igitur Mosellanus, qui cum rationem haberet maximam, ut debebat, ingenii sui, honestissimae

illud culturae genus non neglexit, et cum quandam docendi rationem suscepisset, idque Coloniae Agrippinae, sic in eo, quod sustinebat, docendi munere versabatur, ut facile excelleret, ab eoque genere coepit honesto nomine florere. Ac cum fama eius indies magis ac magis cresceret, non potuit amplius intra eos, quibus Colonia circumscripta est, fines teneri, sed statim traieco Rheno per tantum locorum interualium ad nos usque promanauit. Quae res Iohannem Aesticampianum, grauem cum primis virum atque eruditum, cum per idem tempus scholam apud nos Freibergae insituisse, eademque a nobilissimis quibusque adolescentibus celebraretur, adducebat, ut hunc sibi adiutorem atque socium docendi adiungendum putaret. Accersiuit itaque senex adolescentem, ut is parrem nauaret operam nouae scholae, sibique opitularetur. Paruit autem Petrus noster voluntati optimi senis, ac relicta Colonia ad nos migrauit. Venit hoc loco in mentem mihi illius, quod fictis fabulis memoriae proditum est, Herculem quodam tempore Atlanti, qui coelum ipsum humeris sustinere dicitur, fesso et paene opppresso subuenisse, onusque ipsum in se suscepisse, ut senex ille tanto onere paene oppressus respirare posset. Quae res cum Herculii aeternam pepererit gloriam, quanto maior debetur gloria Mosellano

nostro, qui vere in re honestissima quidem illa atque publicis rationibus utilissima optimo seni opem ferre non dubitauit. Iam vero cum noster hic Freibergae fuisse aliquamdiu, docuisseque summa cum laude, alio, vbi et locus esset celebrior, et ipse docendo prodesse posset pluribus, migrare constituit. Ac cum in vicinia esset, quo recte concederet, locus, sibi non esse ad exteros populos excurrendum censuit, hancque Lipsiam elegit potissimum, vbi eam faceret fementem, quae aliquando latura esset fructus vberrimos. Dedit hanc mentem, Petre, te enim appello, tibi deus ille sane quam propitius, vt, quia nobis posse prodesse multum, id ipsum velles item, et faceres non grauate, quod cum perhonorisicum fuit tibi, tum nobis cum primis vtile, vt mihi videatur, dies ille, quo primum venisti ad nos, initium fuisse maximorum commodorum. Cuius quotiescumque recordor, toties mihi in mentem venit tuorum innumerabilium erga nos meritorum. Sed vt redeam illo, postea quam huc venit Mofellanus, iecit ille quidem paeclaras docendi fundamenta, quae singula persequi, quia nimis longum esset, omittam, et ad propiora accedam. Cum itaque graecas literas doceret, iamque non solum adolescentes, sed etiam grauissimi quique viri earum studio tenerentur, rationem iniuit ille, vt, quae traderet, nobis vti-

illatatem sane multiplicem afferre possent. Quo siebat, ut ex omnibus eos potissimum autores, qui optimi essent, sumeret atque interpretaretur. Videbat enim prudens homo ex optimo optima disci posse. Propterea quod in iis varietas illa magnam nobis verborum atque rerum syluam suppeditare posset, planeque fieret, ut una et eadem opera et lingua ipsa recte perciperetur, et quae prescripta essent eadem lingua. Nam cum distinctiones rerum sint notae, ac certae significations, dictionibus semper subest non nihil rerum, quod explicant, idque ipsum una cum eisdem, etiamsi aliud agas, percipere necesse est. Recte igitur Mosellanus, qui auditoribus suis ea proponeret, quae in graecis longe optima haberentur. In quibus cum progressio facta esset satis magna, insituit tandem latina cum iisdem coniungere atque utraque coniunctim tradere, idque faciebat hac de causa potissimum, quod censeret se, ut copisset, recta studia illustrare non posse, nisi earum quoque literarum, quarum utilitas hoc tempore latissime patet, rationem haberet. Quando autem studia nostra, atque adeo artes omnes eo pertinent, ut discamus aliquid, et eo, quod didicerimus, perbene utamur, ut eas, quas docuisset literas, conferre possemus ad usum aliquem, rationem iniuit noster hic, artemque bene dicendi nobis sane frequenti-

bus tradidit. Quid enim nostra interfuerisset omnem omnium linguarum facultatem tenere, nisi eandem proferre in apertum, ac quodam cum artificio explicare didicissemus? Neque vero interea, dum eam traderet artem, studium suum ab iis auctoriibus, quos ab initio in manus sumserat, abiecit; quin artem, quam docebat, ad eos ipsos auctores studiose semper accommodabat, ut proposito certo quodam veluti simulacro dicendi, haberemus, quod imitaremur, et, quid confiendo scripto opus esset, addisceremus. Quae res, quantum attulerit lucis et nobis omnibus et in primis Academiae nostrae, haud facile dixerim; certe nunquam in hac nostra Lipsia plures extiterunt diserti, ut mihi videatur schola Mosellani fuisse quasi officina quaedam dicendi cunctae Germaniae. Quamquam ipse, quod esset imbecilliore corpore ac lateribus non sati valentibus, in concione dixit non saepe, statuitque eam, quam consecutus esset dicendi facultatem, intra parietes potius alendam esse, quam temere in solem, atque puluerem deducendam: praesertim vero cum intelligeret, actionem tantum valere in hoc genere, ut in ea esse omnia viderentur. Est enim memoriae proditum, quosdam extitisse, qui cum nec inuenire acute, neque dicendo ornare possent, quod tamen voce essent suavi, corporis item motu dignitatis pleno, in oratoriis.

bus fuerint habitu. Adde, quod Demosthenes ille, oratorum facile princeps, actioni et primas et secundas, et item tertias tribuit. Quare cum Mosellanus nec voce esset canora, nec corpore tam firmo, ut laterum contentio- nem ferre posset, se conuertit ad scribendum. Cum enim in eo eximia essent omnia, quae vel ad inueniendum, vel ad ornandum sunt necessaria, certe ad scribendum se dedit potissimum. Quid enim faceret aliud, quippe cum et ingenio excelleret, et instructus esset summa doctrina, et verbis sane lectissimis abundaret. Accedebat illa quoque ratio, quod, quae dicimus, influunt, at quae scribi- mus, manant multo melius, nec vna aut item altera ciuitate continentur, sed diffundunt se penitus per totum orbem terrarum. Quid? quod oratoria et a foro, et a gubernaculis ci- vitatum exclusa hodie vix aliquem obtinet locum in iis, quae aut in aliquo doctrinae ge- nere versantur, aut pertinent ad excitandos studiofos homines, eosdemque in officio con- tinendos, aut ad eos, qui aliquo virtutis ge- nere excellunt, amandos. Et haec quidem scribendo consequimur fere semper, dicendo non item. Quibus de causis Petrus Mosella- nus sibi in scriptione potissimum elaborandum putauit. Extant itaque illius non parum multa, quae vel praecipiendi vel cohortandi causa scripsit praecclare, quaeque e Graeco

conuertit. Sed cum ea, quae sint pulcherimae, in manibus omnium habeantur, nihil attinet de iisdem agere sigillatim. Iam vero cum illi gloria, quae ex recte factis, etiam si non appetatur, ipsa tamen per se existit atque nascitur, parta esset satis magna, iamque de eo optimus quisque praeclara ficeret iudicia, coeperunt eum maximi quique vnicē complecti. Sinite me hoc loco praeterire amplissimorum Regum legatos, qui sane, cum hoc transirent, nihil habuerunt antiquius, quam ut nostrum hunc officii causa salutarent, atque conuenirent. Non dicam, quinam illi ab omnibus omnium ordinum hominibus habitu sint honores, omittam ciuitates amplissimas, regulos ornatissimos, antistites maximos, principes denique clarissimos; unus Erasmus Rotterodamus, unus, inquam, ille, quo sol hic in omnium doctrinarum genere non vidit praestantiorem quemquam, fuerit mihi instar omnium. Quantius fecerit Mosellanum nostrum, et epistolae eius ad eum et voces honorificae ab hominibus non vanis exceptae perlataeque ad nos satis declarant. Hic profecto sic complexus est Mosellanum, ut pater filium, ut grandior natu haeredem. Neque id sine causa. Erat namque huic tanquam haeredi relicturus vniuersorum bonorum haereditatem. At quam haereditatem? quae profecto non constat ex rebus fluxis et caducis

vis, sed perpetuis plane atque constantibus; in quam fortuna, quae longe lateque dominatur per universa, nullum habet imperium, quam nulla vis, nulla hostium incurso euertere potest. Hinc illa vox doctissimi cuiusdam hominis in miserabili calamitate post amissionem omnium honorum: *omnia mea mecum porto.* O! praeclara bona, quae ceteris amissis reliqua fiunt domino, eundem non deferunt, ab eo se distrahi non patiuntur, quaeque eum sic recreant, ut nullius rei amissione grauius afficiatur. Atque, ut illo reuerter, cum Mosellanus ab Erasmo amaretur plurimum, et se amari, atque haeredem quodam modo institutum esse bonorum eorum, quae ab illo summa cum gloria possiderentur, intelligeret, quo tandem animo illum fuisse putatis? Incubuit profecto in eam rationem, ut tanti viri, atque honorum omnium expectationi responderet, planeque perficeret, ut, quae ad se ventura esset existimationis honestissimae atque disciplinarum omnium haereditas, eam iure suo adiisse aliquando videtur. Idque se consequiturum intelligebat, si eius, cui successurus esset, similitudinem accipere posset maxime. Proposuit itaque illum sibi, quem imitaretur potissimum, fuitque totus in exprimendo. Quare cum in aliis rebus, tum in diuinis praecipue, iidem prorsus sensus fuerunt Mosellano, atque Erasmo,

ut illum huius esse imitatorem, et paene alterum hunc facile agnosceres. Quoniam vero hic mentio facta est de rebus diuinis, quo illo animo atque consilio ad Theologiam accesserit, eidemque studuerit, praetermittendum non videtur. Cum omnia, quae vel facimus, vel cogitamus, ad Christum veluti bonorum omnium finem referenda sint, eo certe omnem contulit operam studiumque suum, ut eam disciplinam, quam Christus ipse e coelo in hunc orbem terrarum attulisset secum atque hominum generi tradidisset, perciperet. Ea autem omnem salutis nostrae rationem continet, cum ad Deum nos conuertat planeque excitet ad bene de clementia eius sperandum. Haec enim illa est vera Philosophia, quae et a vitiis nos deterret, et ad virtutem cohortatur: quae certissimam salutis spem nobis ostendit, quae denique eum animorum dolorem, quo propter flagitiorum conscientiam exulceramus, sic leuat, ut abiecta omnium metu atque dolore in eius clementia, qui omnes adflictos ad se confugientes recreat, suauissime conquiescamus. Quae cum ita sint, est quidem Mosellanus noster Theologiam non sine summo consilio complexus, ad eamque sic adhaesit, ut ab eadem non alia re, quam morte ad extremum diuelleretur. Sed cum in honesta illa disciplina aliquo usque progressus esset, id, quod ipse didicisset, cum

aliis pro sua perpetua adiuuandi ceteros ori-  
nandique consuetudine, communicare insti-  
tuit. Hic quid reliqua quaeritis? nostis ipsi,  
quam egregiam nauerit operam rei Christianae,  
cum et ea, quae spiritus ille diuinus literis  
fuis mandasset, explicaret, et quae in sanctissi-  
mis quibusque graecis auctoribus recondita  
essent atque abstrusa, inquireret, inquisita  
erueret, eruta in apertum proferret; atque,  
ut sibi in omnibus vitae suae actionibus con-  
fiaret, ea, quae e graecis cognita haberet, at-  
que peruestigata, non solum iis, quibuscum  
viueret, exponenda censuit, sed toti etiam  
orbi terrarum. Non igitur dubitauit graui-  
sum illum laborem vertendi graeca susci-  
pere in se. Hinc Gregorius ille Nazianze-  
nus, qui tantum habet nomen in Theologis,  
ut apud graecos commune Theologorum no-  
men efficiat suum, hodie sic loquitur latine,  
vt, si forte reuiuisceret, qua vti mallet lingua,  
non facile reperiret. Quae haecenus comme-  
moraui, ostendunt, Mosellanum in honestis-  
simis quibusque disciplinis sic excelluisse, vt  
natum esse eum ad res considerandas facile  
cerneres. Nunc vero et, quid in rebus agen-  
dis, qui fructus est studiorum maximus, potue-  
rit, videamus. Cum in ea disciplina poneret  
operam Mosellanus, quae ab ipso pacis auctore  
tradita est hominum generi, quaeque secun-  
dum illam planeponendam in Christo spem ni-

hil tam praecipit nobis et bene inculcat, qua in  
 pacem, quam caritatem, quam amorem  
 mutuum; fieri non potuit, quin ex iis ipsis  
 quasi fontibus pacis atque amicitiae studium  
 earundem rerum hauriret. Idque eo siebat  
 facilius, quod ipse non aequa ab ulla re atque  
 turbis et tumultu, natura abhorret. Quam  
 ob rem cum nihil exoptaret magis, quam ut  
 publicae paci esset consultum, eo incumbebat,  
 ut, quam vellet pacem atque amicitiam inter  
 homines constitutam, eandem ipse conciliare  
 posset, estque id affectus, ut honestissimae  
 illius rei, et publicis rationibus utilissimae,  
 egregium teneret artificium. Accedebat eo-  
 dem tanta prudentia, quae quidem multis ex  
 rebus perspecta erat, ut et exquisitatio, quan-  
 ta pertineret vel ad amplissimas quasque civi-  
 tates constituendas pacandasue. Cum haec vis  
 ex animo Mosellani sic eluceret, vt nemini non  
 esset cognita, bis moderator Academiae vestrae  
 cunctis suffragiis creatus est. Quo in magistra-  
 tu non obscurum documentum dedit, quan-  
 tum posset in omnibus rebus aequitas animi  
 atque moderatio, qua ille perficiebat, ut  
 omnibus esset percarus, gravis vero nemini,  
 ac ne iis quidem, quos contra in iure dicendo  
 statueret, qui cum gratiosus esset apud omnes  
 ordines, eos quidem in officio continebat fa-  
 cillime. Estis namque vos ipsi testes, eo magi-  
 stratum gerente nullum planetum tumultum exti-  
 tisse, similitates, si quae forte suscepiae essent

41

Inter vos, depositas suisse non gravate. Quis enim non eo pareret pacificatore, qui et cum potestate esset, et idem, quod suaderet, faceret ipse? Habet ea res, crede mihi, vim maximam ad animos hominum, quo velis, inducendos, ac quidem in eo tanta fuit animi aequitas, ut non solum iniurias condonaret facile, sed etiam iisdem ne commoveretur quidem gravius. Nam id, quod scriptum est praeclare, in mentem eius penitus infederat: *Non enim cui inferatur iniuria, miserum esse, sed qui inferat.* Egregia me hercle sententia, planeque utilis ad tollendas animi perturbationes! Legimus itaque, qua se defenderit, literam nullam, at aliorum, qui officio adducti dignitatem eius summa cum fide tutati sunt, orationes nonnullas. Quid dicam hoc loco de Erasmi Roterodami defensione? Maximus ille vir ac tantus senex, quod nostrum hunc diligeret unice, eiusque dignitate suam contineri existimaret, non putauit alienum, defensionem honestissimi iuuenis, cum ab homine, nescio quo, iniquius oppugnaretur, suscipere, quo quid ulli post hominum memoriam accidit honorificentius? habetur semper innocentiae suus honos, nunquam deseritur illa. Iam videtis, Lipsienses, quantum valuerit Mosellanus nosfer et doctrina et prudentia, per quos gradus in celsissimam illam doctrinae, virtutis, atque auctoritatis sedem ascenderit. Certe in eum

locum pervenit, quem vix unum aut alterum  
id aetatis hominem contigisse ex nostra pa-  
trumque nostrorum memoria audivimus. Sed  
cum ingenium eius graue illud quidem pree-  
ter aetatem canesceret, accedit ei id, quod  
fere omnibus, ut esset aetate ante tempus in-  
grauescente atque affecta. Hinc illud graue  
damnum, quod morte huius ornatissimi viri  
bonae literae, rectaque studia fecerunt. Mo-  
ritur is (quod sine summo dolore dicere non  
possum) moritur, inquam, in ipso aetatis flore,  
vix annos natus triconta vnum. Non dicam  
hoc loco, in qua ille meditatione versatus fu-  
erit, vtque in ipso reipublicae complexu, dum  
eidem utilissima moliretur, laboribus ipsis fra-  
ctus vitam profuderit. Non dicam haec, non  
dicam; impedior enim summo dolore. Vnum  
addam, et id quidem strictim, dum idem ad  
ea, quae praeclara sunt, et propter se ad be-  
ne beateque viuendum expetuntur, maximo  
studio contendit, ante in ipso cursu obruitur,  
quam portum conspicere possit. O conatus fru-  
stra suscepitos! Sic vita est hominum, vt ante  
concidamus in ipso cursu studiorum nostrorum,  
quam metas attigerimus. O fragilem homi-  
num fortunam! atque haec fortunae siue ma-  
levolentia, siue inconstantia, siue utrumque  
malis, haec, inquam, ipsa cum mihi semper  
gravis visa est, tum hoc tempore grauissima,  
quo nobis eruptus est ille, qui sic vitam insti-

tuerat, vt prodeisset omnibus, obesset vero nemini. Grauis itaque est principi optimo, qui hunc, vt verissimum amplissimae ciuitatis suae ornamentum, desiderat: grauis maioribus natu, qui spem dignitatis suae in eo collocarant: grauis doctis ac bonis omnibus, qui et summum amicum et quendam velud ducem studiorum amiserunt: grauis est denique ingeniosissimis quibusque adolescentibus, qui amplissimo fructu optimi magistri atque praceptoris sunt priuati. Ego vero Petre (te enim appello) quoniam mihi ea omnia ex te acciderunt, quae homini ex necessitate alterius accidere possunt, quo tandem animo mortem tuam ferre debeo? Tu mihi extitisti princeps ad ingrediendam studiorum meorum rationem: Tu adiutor in illa, qualisunque ea sit, quam feci, progressione: Tu nunquam desitisti me ad ea, quae honestissima sunt, dulcissimis tuis cohortationibus incitare: Tu denique eras illud ipsum perfugium meum, in quo ego semper suauissime acquieui. O me miserum reliquisti, me reliquisti Petre, quid autem me! immo in me grauissimum tui desiderium reliquisti. Sed plura p[re]a lacrymis non possum. Nunc vero cum cum, quem vt quendam e coelo lapsum planeque natum ad omnem omnium utilitatem intuebamur, amiserimus, nae ille mihi omnem prorsus humanitatem abiecisse videbitur, qui tanto

MIEUP



tanti luminis occasu non moueatur. Sed vt nullo affici dolore hominis est asperi atque efferati, ita prorsus effeminati atque mollis, animum sic remittere, vt frangare penitus atque succumbas. Quare quo possis ad ea, quae acciderunt, fortiter ferenda contendere facilius, exponam breuiter, quo genere mortis diem obierit Mosellanus noster, idque vt faciam, adhortatur vel in primis auctoritas Solonis, qui totius Graeciae consensu sapientissimus est habitus. Is in eo sermone, quem cum Cræso rege instituerat, post multa verba (vt fit) vltro citroque habita, dixit : *ex morte uniuscuiusque statuendum esse, fueritne idem miser, an beatus.* Atque, vt ad institutum accedam, inciderat Mosellanus in grauem sane morbum, ex quo cum nec die, qui adimere dolores aegritudinesque solet, nec medicorum opera, qui eum studiose atque fideliter curabant, recrearetur, accidit illi, vt diuturno languore plane confectus iaceret, cumque morbus ille nihil sane remitteret, sed ingravesceret in dies magis ac magis, sibi haud dubium vitae periculum propositum esse intelligebat. Neque vero propterea animum suum demittebat, sed in eo, ex quo omnis salus pendet, IESU CHRISTO, seruatore nostro, erigebat se ipsum atque consolabatur. In eo autem genere cum non inuenias alia, quae homini maiorem afferant consolationem,

quare



quam quae diuinus ille spiritus literis man-  
data tradidit nobis, ex his ipsis optima quae-  
que aut ipse memoria repetebat secum, quod  
ea pulchre teneret, aut ab aliis recitata maxi-  
ma cum delectatione atque pietate excipiebat.  
Affidebant namque illi affidue discipuli eius,  
adolescentes ornatissimi, qui, quod iuberet,  
ipsi studiosissime recitabant. Ex omnibus  
autem praecipue epistolae diui Pauli, quibus  
nihil est vtilius ad informandum Christianum  
hominem, in manibus habebantur. Hinc  
cognitis iis, quae sequenda sunt Christiano  
homini, quaeue fugienda, incredibile est,  
quam suauiter in earum rerum cogitatione  
conquuerit. Instructus namque iis armis,  
quae diuinus ille spiritus ministrabat, confi-  
debat plane se communis illius hominum ho-  
stis impetus facile depulsurum; praeferim  
adeo, cum intelligeret a se stare eum, qui ex-  
pugnans inferos vindicato hominum genere  
in veram libertatem, optatissimam post homi-  
nes natos victoriam quondam retulisset. Cum  
itaque magno atque erto animo ad necessi-  
tatem fati voluntatem suam adiunxit Mo-  
sellanus, iamque communem hominum for-  
tunam non modo non recusaret, sed, si ita  
Deo videretur, libentissimo animo suscipien-  
dam esse statueret, tertio, anteaquam more-  
retur, die se de more inungendum curabat,  
Eucharistiam autem paucis ante diebus ce-

D

perat; ut vero inunctus fuerat optimus ille  
 vir non ita multo post hanc vocem summa  
 cum pietate misit: „Deus seruator noster, si  
 „et possum prodesse tuis, et ita tibi videtur,  
 „seruame; si vero id nolis, fac pro tua mise-  
 „ricordia, ut mihi cruciatus isti non sint diu-  
 „turni. Quod si nec illud velis, quicquid de-  
 „creueris tute, id ego non recusabo.“ Post  
 hanc vocem acquieuit ipse paululum, ab eo  
 que tempore neque locutus est, neque audi-  
 vit aliud, quam quod ad salutem vel suam, vel  
 eorum, quibuscum loquebatur, pertineret,  
 quippe cum cogitationes suas ad ea tantum  
 audienda, quae sibi ex diuinis literis recita-  
 rentur, referret, in eaque meditatione esset  
 totus. Sed quid multa? Cum tandem gra-  
 vissime affectus esset, iamque vrgeret tempus  
 moriendi, animo erat nihilo quam antea ab-  
 iectiore, sed fretus clementia Dei immortalis,  
 ad quam omnem prorsus spem contulerat,  
 mortem non sane metuebat: quin eam potius,  
 cum res ita ferret, fidenti animo obibat. O  
 salutare mortis genus! Neque enim ei, qui  
 sic in Deum se coniicit, quicquam mali eue-  
 nire potest. An censes vspiam nobis plus  
 praesidii positum esse, quam in eo, qui et ser-  
 vauit nos, et saluos vult quam maxime? Non  
 patietur (crede mihi) is, in cuius potestate  
 sita sunt omnia, animum illius hominis, tradi-  
 tum sibi atque commendatum, e manibus suis.

extorqueri; ad quam spem ut excitaremur,  
 Christus ipse Dei filius e coelo descendere,  
 seque vnum e nobis facere non dubitauit.  
 Qui cum se vnum pro omnibus deuouerit, ac  
 genus humanum e faucibus impurissimi illius  
 tyranni, profuso sanguine vitaque, eripuerit,  
 quin idem et velit et possit nos feruare, du-  
 bitare qui tandem possumus? Nisi forte pu-  
 tamus, Deum ipsum non esse consentaneum  
 sibi, quo quid dici, quidue excogitari posset  
 impium magis. Ac mihi quidem cum haec  
 animo reputanti, tum in conditionem humani  
 generis intuenti, videtur Mosellano nostro po-  
 tius donata esse, quam erepta vita. Quod quo  
 illustrius perspici possit, considerabimus pa-  
 rumper, quibus fluctibus atque aerumnis ob-  
 iecta sit tota vita nostra. Atque, ut rem iam  
 inde ab ortu hominis repetam, est quidem  
 primum illud tempus ab ipso calamitatis  
 sensu non seiunctum. Dedit namque hoc no-  
 bis ipsa rerum natura, ut prima statim voce,  
 quae sine lacrymis, atque plangore non edi-  
 tur, qualem ingressi simus vitam, testificemur.  
 At qualem vitam? quae ut primum ab illo,  
 veluti portu, in altum abrepta est, Deus bone,  
 quibus ac quantis iactatur procellis! Non  
 commemorabo hic singula singularum aetatum  
 incommoda. Non dicam, quae pueris nobis,  
 adolescentibusque accidunt, modo a parenti-  
 bus, modo a paedagogis: non dicam, quan-

tum laboris excipiendum sit iuuenibus, non dicam, quantum aerumnarum hauriendum sit viris: non dicam denique, quam grauib[us] curis senecta ipsa per se affecta ad extremum penitus frangatur: omittam singula haec, dicam generatim. In hac vita tot turbulentissimae tempestates existunt; tanta nobis impendent pericula, vt mihi videatur is animo esse plane dissoluto, qui, cum haec intelligat, non commoueatur. De affectionibus corporis quid dicam hoc loco? Quotus quisque est, quem morbi isti non pertentent aliquoties, si non prorsus conficiant? At ea res, quam nos perturbet, quam grauissima fit nobis, vos ipse optimi estis testes. Iam vero in externis rebus dominatur fortuna, quae profecto acerbissima est iis, quos euertit, nec tamen iucunda illis, quos ornat. Quippe cum ea sit perpetua illius consuetudo, vt ludat hominum genus, et ita quidem ludat, vt, quos iam extulerit, non ita multo post deiiciat atque deprimat. Quis igitur est, non dico, sapientissimus, sed a communi sensu non omnino abhorrens, qui in secundis etiam rebus non pendeat animi, et casum aliquem grauiorem metuat? Ut enim arbores in editissimis quibusque locis et crebrius de coelo tanguntur, et grauius cadunt; sic homines in excelsum locum a fortuna sublati et eius vim difficilius vitant, et, cum ab ea perculsi semel ruere coe-

perunt, se quidem tenere non possunt, quin penitus cadant. Et tamen fortuna in rebus externis tantum potest, ut nobis omnino sit necesse vela dare, vnde flatus illius ostendantur. Sunt haec quidem grauiā, sed ea, quae sequuntur, multo grauiora. Venio namque ad cupiditates animorum, quae in nobis ipius naturae pulsu carentur. Habet autem ea in nos tantum imperii, ut possit, quascunque velit, cupiditates perturbationesque in mentes nostras inferere. Ac, ne illae expleri possint vñquam, et semper alia ex aliis appetant cupide, solet natura appetitum ipsum augere cum accessione earum, quae concupitae sunt, rerum. Quod cum viderent acuti quidam homines, atque docti, et vellent expressam quandam cupidae mentis effigiem nobis proponere, eam ipsam dolio pertuso similem esse scripserunt. Et recte quidem illi. Etenim dolium pertusum nihil eorum, quae infunduntur, continere potest, et nec impleri quidem; sic nec animus hominis cupidi expleri poterit vñquam. Quanto enim indideris plus, tanto appetet plus. Neque vero poëtarum industria in adumbranda cupidi hominis mente desideratur. Apud quos Tantalus haustum aquae semper appetit, nec eo tamen potitur vñquam, refugit aqua, quoties ille admouet labia. Habetis hic cupiditatis effigiem. Quid igitur est? videtisne, quantum afferant mali

cupiditates, ipsae incitant quidem, et quod  
 incitant, nunquam sedari potest. O rem mi-  
 seram! an non sitis eiusmodi, quae extingui  
 nunquam possit, in summis esset habenda ma-  
 lis? At ea corpus afficit, non animum.  
 Quanto igitur acerbiores sunt insatiabiles illi  
 animorum appetitus! sunt enim, sunt animi  
 affectiones grauiores multo, quam corporis.  
 Sed cum appetitus isti, qui in opinione bono-  
 rum versantur, ac nos obiecta illorum specie  
 permulcent, nescio quomodo, atque alliciunt,  
 tantum afferant mali, quanto intolerabiliora  
 fuerint ea, quae in malis opinatis nos plane  
 excruciant: atque illa, quoniam praecordiis  
 ipsis concepta interiore quadam affectione nos  
 debilitant, morbi animorum aegritudinesque  
 a doctis hominibus appellantur. Neque id  
 iniuria. Natura enim ipsa ex opinione mali  
 alicuius vel impendentis, vel praesentis inurit  
 nobis dolorem sane vehementem. Qui cum  
 nos vehementissime premat, quiescere possu-  
 mus nequaquam, donec, quod vnum est per-  
 turbationum istarum remedium, ad Christum  
 Iesum, tutissimum illud perfugium nostrum,  
 confugerimus. Quanquam enim dies ac lon-  
 ginquitas temporis dolore nos leuare videtur,  
 tamen ipsa non satis valet per se ad euellen-  
 das eas animi affectiones, quae penitus insitae  
 sunt in mentibus nostris, nisi spes illa atque  
 fiducia in Christum accedat. Num igitur

miser est is, qui tanto morbo oppressus iacet? Possem hic varias perturbationes animorum contractionesque enumerare, sed quia ipsi, quid singulae possint, earum satis estis experti, de iisdem non fuero multus, atque, ut ex infinitis pauca afferam, fuerint nobis metus atque afflictio instar omnium. In conscientiis nostris ex recordatione eorum, quae perpetram ac flagitiose fecimus iniecti, animos nostros non secus atque furiae quaedam facibus admotis exagitant. At hoc mali excitatur ab eo, qui, quod nobis aeternum indixerit bellum, nunquam facit finem infidias collocandi. In quas cum inciderimus (incidimus autem quotidie) quia vitari non possunt, Deus bone, ut ille nos excipit, ut rapit ad se, ut suis veluti laqueis irretitos tenet! Hinc nisi Deus ipse nos respiciat, atque ex tanto eripiat pericolo, quoniam extra eum nullum fane subfidium comparatum est nobis, summa sequatur desperatio necesse est. Cumque hac vna re nihil fuerit Christiano homini perniciosius, Christus profecto ipse pro sua clementia sustulit nobis certissimum signum ad bene sperandum. In quod quoties mentis nostrae oculos coniicimus, recreamur non parum, planeque ab omni desperatione reuocati liberamur. Ac nisi crux illa clementissimi Dei conscientiis nostris afferret consolationem, non esset, quo animi nostri grauissimis illis affectionibus,

metu atque afflictione, perturbati in eum,  
 vnde decidere solent, quietis ac tranquillitatis  
 locum reducerentur. Sed quorundam haec  
 omnia? ut intelligatis, Lipsienses, in hac vita  
 calamitosa esse omnia, nihil prorsus suave,  
 ac, si quid spei atque praefidii nobis possum  
 sit uspiam, id alicunde arcessendum esse, atque  
 a Deo ipso. In quo cum sita sit vera vitae  
 ratio, nonne extra nos alia est vita, et ea qui-  
 dem multo beatior? quam tum demum con-  
 sequemur, cum ex hac vita ad eum ipsum  
 transierimus; praesertim vero cum Christus  
 ipse, qui non fallitur, estque ipsa veritas,  
 sic dicat: *Ego sum resurrectio et vita etc.*  
*Qui credit in me, non moritur.* Quid ergo est?  
 nonne existimatis, mortem esse commutatio-  
 nem vitae, et non interitum? Quid autem  
 commutationem dico? immo vero, si futu-  
 ram illam vitam cum hac praesente conferas,  
 videtur illa vita esse, et plane vita, haec au-  
 tem non item, sed mors potius. Nam in hac,  
 dum spiritum hunc utrumque ducimus, nun-  
 quam sumus in tuto, semper periclitamus,  
 perpetuis iactamur fluctibus, ut, quod de iis,  
 qui se mari commiserunt, a sapiente quodam  
 sapienter dictum est: *eos neque inter viuos esse*  
*numerandos, neque inter mortuos,* idem de  
 nobis, qui in isto discrimine, in ista turbulen-  
 tissima iactatione versamur, recte dici posse  
 videatur. In illa autem, quoniam relitis

cor-

corporibus perturbationum earum, quae in corpore existunt, erimus expertes, omni prorsus periculo liberati beatam agemus vitam, atque aeternam. In hac animi nostri, quasi in carcerem quendam, sic in corpus ipsum detrusi, miserabili premuntur feruitute: in illa animi e corpore, tanquam e vinculis, emissi et fruentur aeterna libertate et dignitate florebunt. In hac tanta circumfusi sumus caligine, ut, quarum rerum cognitionem exspectamus maxime, eas certo scire non sane possimus: in illa vero, cum perrupto hoc nebuloso aere, dispulsa ab oculis nostris omni caligine, in sedem Dei immortalis penetrauerimus, vigebimus certe earum rerum scientia, quas nunc tantum non fide assequimur. Quo tempore perspectis iis, quae iam nunc credimus quomodo, in eo, qui vita est, et extra quem nulla plane vita est, suauissime conquiescamus. Quae cum ita sint omnia, quis est, qui non illam vitam, in quam ex hac migramus, huic anteponendam censeat? quis non hanc, si cum illa conferatur, mortem esse potius, quam vitam ducat? quis denique, cum ipse ex hisce velut vinculis euocetur, non animo quam libentissimo ex iisdem in coelum, communem illam bonorum sedem, excedat? Adduxit haec res Paulum, unum post homines natos doctissimum, ut sibi mortem expectandam esse statueret: adduxit Socratem, he-

E



minem cum primis bonum ac doctum, ut propositum mortis periculum erecto animo adiaret. Sed quid vetera requiro? non longe abieris, Mosellanus hic, hic, inquam, noster mortem sic obiit, ut ei in optatis esse illam facile cerneret. Cum itaque mors nihil asserat mali, sed potius ad summum ducat bonum, non est me hercule, cur quisquam putet Mosellano non potius donatam esse vitam, quam ereptam. Cumque mors illi non inuitu acciderit, causam euidem non video, cur, quam ipse non refugiatque exhorruit mortem, eam nos grauius hoc tempore moereamus. Etenim si ille percarus fuit nobis, ut esse debuit, conuenit certe nos, obitum eius benevolentia potius, quam misericordia prosequi. Sic namque diem obiit, ut statuere possis, illum mortem cum vita, non vitam cum morte commutasse, neque a bonis, sed a malis potius esse abductum. Ac si quem forte moueat, quod in ipso aetatis flore occiderit, nae ille mihi de honestissimis moribus optimi atque ornatissimi viri non satis bene existimare videbitur, praesertim vero, cum et is satis superque vixerit, qui munere suo viuendi functus est bene. Sed cum noster iste in mediis vitae laboribus obdormierit, suo quidem tempore mortuus est, nostro non item, quod tamen ipsum ferendum est modice, ne nostra comoda eius felicitati anteponere videamus.

Quamobrem si intelligimus Mosellanum nostrum sic vixisse, vt singulari Dei immortalis benignitate ortus esse videatur, et mortuum esse, vt nihil posset ei ab eodem Deo tribui melius, id quod illi sane feliciter euenit, grato animo interpretemur.

### E P I C E D I U M.

Conditus exiguo iacet hic sub marmore Petrus,  
Nobile cui nomen clara Mosella dedit.  
Attica quo primum hic audita interprete lingua est,  
Cum docuit Graio Teutonas ore loqui.  
Et Latiae veterem linguæ renouauit honorem,  
Natiuumque illi reddidit arte decus,  
Ipsius eloquium viuo Cicerone probasset  
In medio quondam Roma diserta foro,  
Magna etiam coluit pietate oracula Christi,  
Et sanctis studiis consona vita fuit,  
Ipse sua viuens quod spe votisque petebat,  
In gremio vt viuat, da, bone Christe, tuo !

**IVLIVS PFLVO,** Praeceptoris Cariss. F. Positum anno  
post natalem Christi MDXXXVI. mense Iulio.

**VLRICVS GREDELEIVS** faciebat opus. C. B. cuius  
rator fuit,

Gratia et Gloria Deo !



Kopiel 78/1388  
(26)


**ULB Halle**  
006 805 116

3



vsn8





ORATIO FVNEBRIS  
IN MORTEM  
PETRI MOSELLANI

AVCTORE

I V L I O P F L V G.

I T E R V M E X C V S A

C V R A

CHR. GOTTF. MÜLLERI,

RECTORIS SCHOLAE CIZENSIS ET BIBLIOTHECAE EPISCOPALIS PRAEFECTI.

C I Z A E

LITTERIS ET SVMTIBVS WEBELIANIS.

1 7 9 8.